Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 1189
Quelle:
Copyright:

CCCIII. IX. F. 14.

499 Codex chartaceus lat. Sec. XIV. Folior. 177. 4. currente calamo exaratus haec complectitur: I. *In nomine domini Incipit liber qui dicitur Pharetra.* Non illa quidem contra *Judaeos*, quam jam e variis *Codd.* indicavimus, neque illa *Doctorum*, quae teste *Fabricio* et *Manſio* ſecundum ordinem Alphabeti progreditur, ſed illa, quam Libris IV. diſtinctam et inter *Bonaventurae* Opera in edit. *Lugd.* 1668. T. VI. p. 99. receptam primus ἀνωνυμως impreſſit circa an. 1473. *Norimbergae Fridericus Creuſſner f.* cujus Exemplar tamen a noſtro quibusdam in rebus abit, ut vel Prooemia conferendo patet. Dabo noſtrum: *In nomine domini ſequens opuſculum compilatum eſt de diuerſis originalibus diuerſorum doctorum. Et dicitur pharetra. quia ſicut iacula in pharetra reponuntur quibus hoſtis hoſtem ferit. vlnerat et deicit. ſic etiam hic varie auctoritates fide dignorum. Que ſi manu fidei tenuerimus hoſtem antiquum procul dubio deiciemus. Diſtinguitur autem in IIII. libros. Primus dicitur de perſonarum varietate. Secundus de principalium viciorum et virtutum multiplicitate. Tercius de periculoſis. Quartus de gracioſis. Et primi duo libelli quilibet eorum continet L. capitula quia talis numerus iubilei eſt figuratiuus. Reliqui duo vnusquisque LXIIII. habet capitula.* Paullo aliter Impreſſa, quae et Capitum numero et diſtributione variant. Caput poſtremum nobis initio plura, fine pauciora, quam Impreſſa, continet, id, quod proniſſimum in Opere, quod non niſi excerptis PP. locis conſtat. *Gregorius* M. paene per totum χοιγγος eſt. Ad calcem notatur minio: *Explicit pharetra fidei Datum anno domini MCCCLXXVII. Finitus eſt liber in die ſancti arnolfi.* Vide et *Cod.* DCXC.

II. *fol.* 134. absque titulo Exemplorum de Virtutibus et Vitiis variis congeries, quae primo ad Numerum C. progreſſa rurſum a I. incipit et fiſtit in XXIII. Initium: *Quidam papa in honorem glorioſe virginis capellam fecerat, in qua due lampades cottidie ardebant* &c. Omnia ad Seculi ſui genium.

CCCIV. VIII. D. 2.

Codex membraneus lat. Sec. 263 XIV. Folior. 175. f. per duas columnas ſat nitide ſcriptus continet *Excerpta ex variis PP. Operibus* hoc ordine: I. Congeries ex *Anſelmo Cant. Hilario, Auguſtino, Hieronymo, Baſilio* &c. de Deo, Trinitate, Statu Angelorum, et primorum Hominum, de Gratia et libero Arbitrio, de Operibus ſex Dierum &c. Initium: *Anſel. in libro de concordia preſcientie et liberi ar. Quere longam auctoritatem in tractatu de preſcientia* &c. Materiae ſpeciales per Marginum notas et hic et in toto reliquo Codice adcurate indicantur.